

persuasio plerorumque iudicum animos occupauit, vt sententiam proferre dubitauerint, etsi de causae veritate satis & sufficienter ex actis informati essent, siquidem actor, vel in concipienda *libelli formula* in minimo lapsus sit, vel in designando *actionis* genere leuem errorem commiserit. Quid vero *simpliciter & pure factum* ipsum & *rei veritatem* inspicere, siue de *plano & sine strepitu & figura iudicii* procedere significet, CLEMENS V pontifex sic explicuit (b), vt dilucide adpareat, se iudici, cui taliter causam commisit, quam minime super facto, quod non *certo*, vt ex eo iusta agendi causa perspicui queat, ab actore expressum fuit, vel de alia causa siue actione, quae in iudicium deducta non est, pronunciandi potestatem concessisse. Quid? quod expressis verbis idem pontifex (c), vt actor petitionem suam, *in ipso litis exordio faciat*, & *siue scriptis, siue verbo, eam continuo actis ita inserat*, vt *super quibus articuli & positiones formari debeant*, possit *haberi plenior certitudo*, non aliam ob causam requirit, quam, *quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet*. ALEXANDER III. (d) quoque iudices in veritate facti inuestiganda *ad formam canonum & sanctorum patrum statuta adstringit*. Quamobrem, sicut, cum *reali actione* agitur, non sufficere *generaliter* rem peti, sed eam ita *specificari oportere*, vt omnis *aequiuocatio & obscuritas* euitetur, INNOCENTIVS III. statuit (e); ita quoque *actio in personam* generaliter dirigi nequit, sed,

(b) In *Clementin. saepe 2. de V. S.*

(c) cit. *Clement. 2.*

(d) cit. *cap. dilecti filii 6. in fin. X. De iudic.*

(e) *Cap. Significantibus 2. X. de Libelli oblat.*